

13

D. D. T. T. T.

DISSERTATIO GRADUALIS  
DE  
USU, QUEM PRÆSTAT  
**OECONOMIA**  
IN INTERPRETANDA.  
**SCRIPTURA SACRA,**

QUAM  
*Consent. Ampliss. Fac. Philosoph. in Reg. Acad. Auroica.*  
PRÆSIDE

**D: NO PETRO KALM,**  
Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord.  
Reg. Acad. Scient. Holm. nec non Societ. Lit. Ups.  
MEMBRO,

*Modeste Bonorum censura subjicit*

**ZACHARIAS CAJANER,**

OSTROBOTNIENSIS,

V. D. M.

In Aud. Majori die XVII. Maji Ani MDCCLX.

H. P. M. S.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,

*h. n. n. Appelberg*



S:Æ R:Æ MAJ:tis  
MAXIMÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,  
**D:NO CAROLO FRID.  
MENNANDER,**  
S. S. Theologiæ DOCTORI  
CONSUMMATISSIMO,  
Diœceseos Aboënsis EPISCOPO  
EMINENTISSIMO,  
Regiæ Acad. Ibid. PRO-CANCELLARIO  
MAGNIFICENTISSIMO,  
Vener. Consist. Ecclesiastici PRÆSIDI  
GRAVISSIMO,  
Scholarum per Diœcesin EPHORO  
ADCURATISSIMO,  
Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO  
DIGNISSIMO,  
MÆCENATI SUMMO.

**N**emo rem rite perpendens, negare potest, eam esse a-  
nimæ humanæ indolem, ut in Virorum, quos natura  
donis ornavit maximis, fortuna honoribus auxit sum-  
mis,



mis, haud invitus rapiatur admirationem, conjunctam cum profunda intra pectoris claustra latente data vero quavis occasione publice se exserere gestiende veneratione. Huic si favoris & beneficiorum immeritorum accedat pondus & numerus maximus, quin effusis habenis idem erumpat affectus dubium est nullum. Ne succenseas, Eminentissime PRÆSUL, hæc ad aliquam præsentis conatus excusationem balbutienti. TUA in Rem, cum Publicam, tum Litterariam, præcipue vero auraticam hanc Academiam merita maxima, TUA consummatissima in omni scientiarum genere eruditio, TUUS in litteras earumque alumnos affectus maxime propensus, TUI quoque in me favoris documenta maxima, beneficia numero plurima, pondere gravissima effecerunt, ut TIBI MÆCENAS Maxime, opellam hanc in perpetuum devotissimi animi pignus offerre & me fortunamque meam simul gratioso TUO patrocinio in posterum committere sustineam. Adspicias munusculum non secundum pretium ejusdem, sed pietatem offerentis. Faciat, Qui fati hominum moderatur, ut diu vivas, felicissimeque vigeas, sic enim votorum compotes evadent Patria, Ecclesia, Res Litteraria, Musarum hæc ad Auram Palæstra, Familia nobilissima, clientes singuli!

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

cliens devotissimus  
ZACHARIAS CAJANER.



*VIRO Præclarissimo*  
**D: NO MAG. ABRAHAMO  
FROSTERO,**

Consistorii Ecclesiastici Aboënsis Notario adcuratissimo, ut Consobrino dignissimo, ita Fautori Benignissimo.

**C**um magna TUA, vir Præclarissime, mihi præstita favoris & bonitatis documenta rite perpendo, verba sane mihi desunt idonea, quibus mentem meam gratissimam testatam faciam. Quoties enim mihi ad illustrem hanc Academiam versari licuerit, toties maturis consiliis, doctrina, multisque aliis beneficiis TUUM erga me affectum amoremque sincerissimum palam fecisti, insimulque ostendisti, quantam TIBI placuit meæ salutis promovendæ in Te derivare curam. Suscipe igitur, humillimus oro, Vir Præclarissime, pro solito TUO in me affectu, pagellas has levissimas, quas in gratissimi animi tesseram pro tantis Tuis beneficiis TIBI consecratas volui; Et perge post hac, ut huc usque, singulari TUO me amplecti favore. Meum erit DEum O. Maximum pro TUA Tuorumque perpetua felicitate & flore semper seriis compellare precibus! Ero dum vixero,

PRÆCLARISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus  
**ZACHARIAS CAJANER.**



*Plurimum Reverendo atque Praclarissimo VIRO,*  
**D: no NICOLAO FELLMAN,**

Sacellano in Kemitrásk Meritissimo, nec non Vicario  
Pastori in Cusamo dignissimo, Fautori exopta-  
tissimo propensissimo.

**S**U cui unquam felix contigit fors de Benefactore optimo sibi  
congratulandi, certe mihi per gratuitam bonitatis Divinae  
directionem in TE, Vir Plurimum Reverende, latissima  
mente eandem experiri licuit. Postquam enim filiolos TUOS  
Juvanes praclara indolis mihi ante biennium informandos tra-  
didisti, illosque ad illustrem hanc Musarum sedem me directore  
eum in finem misisti, ut eo latior nobis pateret occasio litteris  
bonisque moribus proficiendi, beneficia imprimis a TE, vir Plu-  
rimum Reverende, in me exstiterunt maxima, imo prorsus pa-  
terna, qua nullo non tempore venerabunda agnoscam mente.  
Cui igitur majori jure pagellas has levissimas consecrarem, quam qui-  
dem TIBI, quas ceu gratissimi erga TE animi mei signum, ut susci-  
pias, humillius oro atque obtestor. Si in posterum maturiora do-  
na pro innumeris maximisque TUIS in me collatis beneficiis Ti-  
BI offerre valeam, DEO Optimo Maximo, in quem spes meas  
posui, id merito relinquam. De cetero nunquam intermittam  
Summum Numen pro perenni TUA Tuorumque prosperitate o-  
mnigena, calidissimis defatigare precibus, velit TE, Vir Pluri-  
mum Reverende, in Sui Nominis Gloriam, Ecclesiae emolumen-  
tum, Tui Tuorumque gaudium & solatium salvum & incolu-  
miam quam diutissime conservare! Sic vovet, qui donec vixerit  
permanebit,

**PLURIMUM REVERENDI NOMINIS TUI**

*cultor humillimus*

**ZACHARIAS CAJANER.**



*VIRO Plurimum Reverendo atque Doctissimo,*  
**D: no PETRO CALAMNIO,**  
Sacellano in Ijo Meritissimo,  
**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**Q**uemadmodum vix quidquam tristius in aetate tenerrima mihi contingere potuit, quam quod Parente optimo premature orbatus fuerim; ita ex adverso inter felicissima mea fata illum fuisse eventum letus agnosco, quo TE Summum Numen Parentem mihi constituit propensissimum. Etenim ab eo usque tempore, quo Parentis loco TE venerari licuit, tot tantaque TUI amoris bonitatisque in me exstiterunt documenta, ut vix ac ne vix quidem ea digne praedicare valeam. Praterquam enim, quod ipse initio domi studiorum meorum jam jam inceptorum optimus fueris moderator, dein quoque non solum in Scholis, verum etiam in hac illustri musarum Palaestra studiorum perficiendorum gratia me Tuis impensis sustentasti. Sed quid multis de TUIS in me, Parens optime, meritis commemorem, plura utique & majora ea sunt, quod mente gratissima agnosco, quam ut a me recenseri multo minus demereri possint. Digneris itaque benigne, Parens optime, hos qualescunque studiorum meorum fructus suscipere, quos in Tesseram venerationis meae Tibi pietas consecrare jubet. Quod quoque in posterum paterno Tuo amore me sis amplexurus, spem foveo certissimam. Hinc, quod reliquum est, votis Summum Rerum Moderatorem semper implorabo calidissimis, velis TE, Pater indulgentissime, per longas annorum series, sospitem & in columen in Dei Gloriam, Ecclesiae Commodum & omnium Tuorum gaudium, solatium atque emolumentum servare! Sic voveo usque ad cineres perman surus,

**TUI PARENTIS INDULGENTISSIMI**

*filius obedientissimus*  
**ZACHARIAS CAJANER.**





§. I.

**I**Nter innumera alia DEI Optimi Maximi infinitæ bonitatis, gratiæ & misericordiæ documenta erga genus humanum nunquam non prælitata maxima, id merito, cum omnibus recte & pie sentientibus, gratissima mente referre nos oportet, quod Idem Summum Numen ipsi in maximam miseriam prolapso, voluntatem suam de ejus salute denuo restituenda, in sacris litteris sufficientissime & clementissime patefecerit. Omnes enim in tenebris ambularent densissimis, & nescirent quorsum tenderent, nisi Stella hæc Cælestis, quam Scripturæ Sacræ nomine veneramus, luce sole meridiano clariore, easdem dispelleret, & sic mortalibus apertam ostenderet viam ad veram & constantem felicitatem perveniendi. Ast, Licet Divinum hoc oraculum in se sit adeo perspicuum, ut nihil obscuri absolute loquendo in ipso reperiatur, nullaque omnino laboret ambiguitate, sed ea inprimis, quæ ad fidem & mo-

A

res



res spectant, cum summa tradet facilitate; haud raro tamen ob infirmitatem intellectus humani, aliasque causas accidere solet, ut varia immo perplurima in illo occurrant loca, quæ nisi accuratissima & legibus certis accommodata accedat interpretatio, vel intelligi nequeunt, vel saltem male explicari possunt. Hinc viri de rebus Sacris meritissimi optima atque infallibilia ejusmodi interpretandi media jam dudum erudite exposuerunt, ad quæ, si loca in Sacris litteris exstantia difficiliora rite examinentur, nullum sane amplius restat dubium, quominus vera eorundem sententia erui possit. Nos vero, dum in præsentiarum constituimus breviter ostendere usum, quem solida, imprimis prisce ævi oeconomicæ cognitio præstat haud paucis Scripturæ dictis rite enodandis & explicandis, cætera jam interpretandi adminicula lubentes omittimus. Et quoniam ingenue fatemur materiæ hujus nobilitatem accuratiorum omnino requirere pertractationem, quam tenuis ingenii mei vires aliæque rationes præstare me permittunt, Te, Benevole Lector, omni verborum honore rogo, velis levissimarum harum pagellarum mitem atque benignum te præbere censorem.

§. II.

**O**economicæ, quæ est scientia opes acquirendi & conservandi, easdemque ita disponendi, ut vita non modo non careat suis necessitatibus, verum etiam omnium bonorum affluentia commodior & jucun-



jucundior reddatur, communiter recentiori ævo di-  
 viditur in *publicam & privatam*. Illa sub se plures  
 comprehendit partes, quia objecta illa non unius  
 sunt generis, circa quæ summi Imperantis cura eum  
 in finem versatur, ut reipublicæ felicitas obtineatur,  
 promoveatur & conservetur. Præcipue tamen fisci  
 seu ærarii publici dispositionem ejusmodique Princi-  
 pis statuta concernit, quæ efficere debent, ut Oe-  
 conomia privata in civitate lætissima maximaque  
 capiat incrementa. *Hæc* pariter in tot fere partes  
 dispesci potest, quot sunt & dantur objecta, circa  
 quæ mortales occupari solent, & ex quibus suo la-  
 bore opereque assiduo lucrum aliquod capere possunt  
 eximium. Majoris tamen perspicuitatis causa hujus  
 fundamenta vel partes vulgo numerari solent qua-  
 tuor. *Res* nimirum *Rustica*, quæ sub se comprehen-  
 dit Culturam Agri, Prati, Horti, Sylvæ & rem pe-  
 cuariam, *Res Metallica*, *Opificia* & *Commercia*;  
 quibus etiam nonnulli addunt Venatum, qui  
 sub se complectitur Capturam ferarum, avium &  
 piscium. Ut jam scientia hæc Oeconomica pro o-  
 mnium antiquissima habeatur, rationes plurimæ nec  
 e longinquo petendæ svadent: Licet enim concede-  
 remus Oeconomiam publicam antea locum habere  
 non potuisse, quam cum homines securitatis obti-  
 nendæ causa in societates majores constituendas con-  
 senserunt, quod num statim aucto & multiplicato  
 post creationem genere humano contigerit, certo  
 dici nequit; id tamen non impedit, quominus cre-  
 damus Oeconomiam privatam a primis mundi in-



colis excelsi cœpisse. Præterquam enim quod Creator Sapiientissimus omnes res in hoc universo hominum usui atque emolumento ex nihilo produxerit, ipsa quoque necessitas postulavit, ut mortales easdem in suam utilitatem & commodum converterent. De Re saltim Rustica nullum est dubium, quin primis mundi temporibus suam debeat originem; est enim hæc non duntaxat naturæ humanæ convenientissima, verum etiam tantæ necessitatis, ut vita vix ac ne vix quidem post lapsum sine ejus cura sustentari possit. Quapropter non potuerunt non mortales huic statim ab initio maximam navare operam, quod etiam Historia Sacra confirmat, quippe quæ testimonia suppeditat, quibus omnes firmissime convinci possunt nonnullas partes Oeconomiam jam ante diluvium excultas fuisse. Confer. Genes. IV: 2. 20, 22. Posteriori vero ævo non sane tristior, verum adhuc multo lætior facies Oeconomiam conspicitur. Jam enim, ut alia præteream, ex Sacris Pandectis constat apud Ægyptios Agriculturam ad eximium adeo perfectionis fastigium evectam fuisse, ut tantam frumenti copiam septem annorum spatio colligere potuerint, quæ non solum ipsi huic genti, verum etiam exteris nationibus aliis septem annis instante annonæ caritate suffecerit. De Judæis quoque tam ante quam post terræ promissæ occupationem perplurima prostant Scripturæ documenta, quæ evidenter satis evincunt illos imprimis rei pecuariæ atque agriculturæ fuisse studiosissimos. confr. Genes. XXVI: 12. Quod ve-



ro ad Rem metallicam attinet, de illius, quam hisce temporibus jam consecuta est felicissima conditione eo minus dubitari convenit, quo clarius Scriptura Sacra Veteris Testamenti affirmat, tempore imprimis Salomonis, maximam auri & argenti aliorumque metallorum abundantiam repertam fuisse. Deutr. VIII: 9. I. Reg. X: 14. 22. 23. 27. confer. etiam Psalm. XII: 7. cum Act. Acad. Scient. Svec. 1752 p. 245. Rei porro manuariæ variorumque opificiorum insigni & prorsus admiranda peritia veteres fuisse instructos Sacræ litteræ multis in locis testantur; præcipue dum de Tabernaculo, Vestibus Sacerdotum, Templi Hierosolymitani exstruktionem Tyrionumque opibus & commerciis sermonem faciunt. Quod denique commercia etiam apud gentes primævas, præsertim Tyrios, Sidonios, Phænices, Chartaginensesque in usu fuerint, nemo est, qui ignorat; quorum etiam præclara atque memorabilia sunt illa, quæ sub Salomonis Regis Judæorum Gloriosissimi auspicio cum Tyriis ad Ophir sunt instituta, unde quadringenta & quinquaginta Talenta auri in Patriam uno itinere apportabantur. II. Chron. VIII: 17, 18. De Re tandem venatoria, quid dicam, cum neque desunt testimonia Scripturæ Sacræ, quæ etiam hoc vitæ genus antiquioribus non solum notum verum ab iis diligenter usitatum fuisse ostendunt. Conf. Genes. XXV: 27. XXVII: 30, 33. Levit. XVII: 13. I. Sam. XXVI: 20. Hes. XXVI. 5. XLVII: 10. Esa. XIX, 8. Math. IV, 18. Joh. XXI: 3. Et ut illud quoque addam, quis quæso, non videt



vel ex eo patere oeconomiam apud Judeos bene floruisse, quod Terra Canaan, quæ in longitudinem se extendebat ad 26 $\frac{2}{3}$ , & in latitudinem ad 19 $\frac{1}{3}$  miliaria Svecana, atque sic minoris fuit extensionis, quam nostra Ostro- & Westrogothia, tamen tempore Davidis potuerit alere 1570000 viros ad militiam aptos, exceptis senibus, feminis & infantibus totisque tribubus Levi & Benjamin. Vide de his plura: Illustris. Gubernat. THEOD. ANKARKRONAS tal ont förbindelsen emellan Landbruket, Manufacturer, Handel och Sjöfart/ hållit 1744. den 12 Julii. Possibilitatem asserti hujus, quod scilicet tam exiguum terræ spatium tantæ multitudini victum & amictum præbere potuerit, contra negantem Scripturæ sacræ veritatem, quilibet Scientiæ Oeconomicæ atque Geographiæ illorum locorum bene peritus facillimo negotio demonstrare valet.

§. III.

**Q**UAMVIS finis Scripturæ Sacræ primarius omnium consensu, sit tradere ea, quæ hominibus, si salutis æternæ volunt fieri participes, creditu, & factu sunt necessaria, placuit tamen Summo ejusdem Auctori multarum aliarum rerum notitiam simul nobis suppeditare, idque vel ex instituto vel etiam obiter & quasi aliud agendo; quæ etsi fidem & mores immediate & directe non concernat, nihilo minus egregiam nobis præbet utilitatem. Placuit eidem quoque Benignissimo Numini ita ad imbecillem



lem nostrum captum sese accommodare, ut sæpius veritates maxime sublimes per similitudines petitas a rebus omnibus notis, inprimis oeconomicis nobis patefecerit declaraveritque. Quum vero omnes fani Scripturæ Sacræ Interpretes fateantur disciplinarum philosophicarum cognitionem instar subsidii alicujus externi, quod interpretem aptum reddat, ad sensum a Spiritu Sancto intentum investigandum & eruendum, ideo inprimis necessariam esse in Scriptura Sacra rite interpretanda, quoniam plurima in eadem occurrunt historica, Geographica, Chronologica, physica, mathematica aliaque ejusdem indolis, quæ ille feliciter intelligere nequit, qui animum hisce disciplinis vacuum gerit; dum e contrario his bene suffultus, felici cum successu eadem explanare & dilucidare valet, uti etiam plurimorum interpretum exempla plus satis testantur. Hinc quoniam eadem Scriptura Sacra multis in locis materias ad Oeconomiam spectantes fusius vel brevius tangit, aut etiam similitudines ab iisdem repetit, uti etiam brevissimis observavimus & indicavimus, nos quoque eodem jure contendimus illum, qui in Oeconomia, præsertim illorum temporum, dum DEUS verbum suum litteris consignari voluit, hospes est, aut penitus non aut cum difficultate saltim haud exigua posse genuinum plurimum Scripturæ dictorum sensum assequi. Ut autem generaliter hætenus pronunciata paulo jam specialius prosequamur, adductisque in medium exemplis confirmemus atque iis simul lucem affundamus, ordinis omnino atque instituti



stituti ratio postulat. Et cum jam haud obscure indicavimus duplicem esse usum, quem oeconomia in exegesi Sacra praestat, dum scilicet aut lucem illis Scripturae Sacrae dictis affundit, quae modo quocunque rerum, objecta Oeconomiae constituentium mentionem faciunt, aut etiam multum ad emphases similitudinum parabolarumque multarum intelligendas altiusque introspectiendas confert, etiam nos hoc ordine quae restant dicenda paucis complectamur.

§. IV.

**Q**uin cognitio reipublicae & politicae tam Judaeorum quam aliarum etiam gentium, quarum Scriptura Sacra non solum mentionem injicit, sed & testatur frequens Judaeis cum illis intercessisse commercium, multum ad Spiritus Sancti sensum pluribus in Scripturae Sacrae locis melius percipiendum faciat, nemo rem vel levius perpendens negabit, quoniam non solum cujusque propria Sacrarum litterarum lectio & meditatio hoc comprobat, & multorum eruditionis laude conspicuorum virorum labores, in quibus aut de politica Biblica aut reipublica Ebraeorum aliarumque vicinarum & cum Judaeis nexu politico aliquando junctarum gentium commentati sunt. Quum autem arctissima omnino sit inter haec & oeconomiam publicam connexio, quis ultro non fatebitur, hujus cognitionem non parum ad varia Scripturae Sacrae, imprimis veteris



\* \* ) 9 ( \* \* \*

veteris Testamenti loca clarius intelligenda conferre. Sed non permittit ea, quam observare nobis proposuimus, brevitatis, per exempla hoc tuius ostendere, sufficiat igitur vel ad unicum in Novo Testamento, locum indice quasi digito monstrasse. Luc. II: 2, &c. Veteris enim Testamenti libri historici & Prophetici fere quavis pagina hujus asserti exhibent testimonia. Quod vero ad Oeconomiam privatam spectat, quemadmodum fere nulla ejus est pars hodie usitata, cujus Scriptura S. non facit mentionem, ita plurima etiam occurrunt loca, quorum omnino difficillima aut fere nulla prorsus est explicatio, nisi veterum Oeconomiam probe cognitam habeamus. Uno vel altero hoc comprobabimus exemplo. Quis quæso, intelligere posset, qua ratione David in tecto Domus Regiæ ambulabat, 2. Sam. XI: 2. aut Absalon tentorium in tecto posuit, 2. Sam. XVI: 22. aut tria millia Philistæorum in tecto fuere spectatores. Jud. XVI: 27. aut altaria in tecto ædificavere, Diisque immolavere, 2. Reg. XXIII: 12. Jer. XIX: 13. Zeph. I: 5. aut Samuel in tecto cum Saule colloquebatur. 1. Sam. IX: 25, 26. aut paralyticum per tectum immiserunt. Marc. II: 4. nisi sciret tecta Judæorum non fuisse acuminata sicut nostra, sed ita fabricata, ut eadem per gradus commode ascendere in iisque ambulare nec non cenitare liceret. Conf. Deutr. XXII: 8. Et certe, qui Architecturam antiquiorum, imprimis Phœnicium novit, is quoque eo melius & distinctius ea intelligit, quæ constructionem templi Hierosolymitani Salomonei concernunt. Dein-

B

de



de quemvis facile concessurum existimaverim, neque Scripturæ Sacræ dicta, Deut. XXV: 4. Esa. XXVIII: 27: 28. Cap. XLI: 15. 1. Cor. IX: 9. 1. Tim. V: 18. intelligi posse, nisi modum cum tauris & equis triturandi apud Judæos & hodie adhuc apud Turcas usurpatum, perspectum habeamus. Idem valet de Jud. VI: 11. Pariter nisi antiquitates agriculturæ veteris nobis cognitæ haberemus, plane non aut difficulter admodum intelligeremus, quid sibi vellet tritum illud proverbium & a Salvatore quoque adhibitum: *Σκλήρον πρὸς κέντρον λακτίσειν.* Act. IX: 5. nec non quo sensu Apostolus. 1. Cor. XV: 56 *ἀμαρτίαν κέντρον τῆ θανάτου* vocat. κέντρον seu stimulus autem olim dicebatur lignum cuspidate acuta munitum aratroque impostum; hoc arator boum partes posteriores pungere potuit eum in finem, ut majores in aratro trahendo vires adhiberent; dum autem juvenecus recalci- travit, sibimet ipsi majores conciliavit dolores. Atque his observatis facilis est explicatio prioris dicti. Quod vero ad posterius attinet, hoc modo ipsi lux affunditur: Sicut stimulus instrumentum illud erat, cujus ope arator bovem coercere & in potestate sua continere voluit, ita peccatum est id, vi cujus mors in omnes homines potestatem suam exercere potest. Per Sanctissimi vero salvatoris nostri resurrectionem stimulus ille mortis ereptus est, ne peccatum nobis magis nocere, aut nos pungere queat. Eodem modo loca Sacræ Scripturæ sequentia, nimir. Num II: 5. Deut. II: 10. Cap. XXVIII: 38. Cap. XXIX: 23. Ruth, II: 14. Esa. XXVIII:



24, 27. Matth. II: 4. Joh. XV: 2. seqq. Rom. XI: 17. plurimaeque alia nunquam rite & sufficienter sine notitia antiquioris recentiorisque oeconomiae enodari atque intelligi possunt; idem de iis locis, ubi de pecuniis, mensurisque & ponderibus Judaeorum atque aliarum gentium agitur, dictum esto. Nec aliquis inficias ire potest, locutiones a rebus oeconomicis desumptas ab illo, qui oeconomica cognitione gaudet, distinctius intelligi, quam ab eo, qui eadem destituitur. Ejusmodi fere enunciationes plurimae in tota Scriptura Sacra occurrunt. Sic nullus fere agriculturæ actus, res aut instrumentum ad illam pertinens est, cujus illa non facit mentionem. Qui de hac re certior evadere vult, evolvat modo loca sequentia. Ruth. II: 2. Psalm. XXXVII: 2. Esa. XXI: 10. Cap. 30: 24. Jer. I: 10. Hes. XVII: 5, 7. Hof. X: 11. Cap. XII: 11. Joel. III: 13. Amos. II: 13. & Cap. IX: 9. Math. XIII: 30. Deutr. XVI: 9. 1. Sam. XIII: 20, 21. Esa. XVIII: 5. Cap. 66: 20. & XVII: 11. 2. Sam. XXIV: 22. & convictum se esse fatebitur; valet idem quoque quoad maximam partem de Horticultura, Re pecuaria, piscatura, venatu commerciisque atque reliquis partibus oeconomiae. Proverbia Salomonis, Ecclesiastes & Siracides ita pleni sunt regulis oeconomicis, ut facile eorum auctores rem oeconomicam ex professo tractare voluisse tibi persuadeas. Nec opus esse existimamus dicta hoc probantia hic congerere, quam nemo, qui vel parum in Scriptura Sacra versatus est, hac de re dubitare queat.



§. V.

**Q**uemadmodum nemo jure negare potest Augustinum Lib. II. de doctrina Christ. Cap. XVI. vere dixisse. *Rerum pbyficarum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, quum ignoramus vel animantium vel lapidum vel herbarum naturas, aliarumque rerum, que plerumq; in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur, ita nos eodem modo porro contendimus, ignorantiam rerum oeconomicarum, ex quibus similitudines & parabolæ sæpissime in Scriptura Sacra petuntur, idem omnino incommodum parere.* Quis enim nescit rem, cum qua altera res comparatur, aliquam debere habere convenientiam cum priori. Qui ergo istius rei bene novit naturam & proprietatem, etiam feliciter cogitare & exprimere valet, qua ratione eadem qualitates analogice vel spirituali modo rei comparatæ convenient. Sic exempli gratia, qui sagenæ vult piscari & oeconomica experientia novit sequentia requiri: (a) Sagenam, (β) pisces, (γ) locum ad piscatum aptum, (δ) jactum sagenæ, (ε) ipsum actum piscationis sive tractum sagenæ, (ζ) capturam partim piscium varii generis majori vel minori copia, partim etiam quisquiliarum sive sordium, (η) selectionem, collectionem conservationem usumque piscium, quisquiliarum vero rejectionem & sagenæ purgationem, interpolationem, custodiam: Cui hæc bene cognita atque perspecta sunt, is optime mentem Salvatoris assequitur, dum Matth. XIII: 47. ait *ὁμοία ἐστὶ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν συγῆθι βληθείση εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐκ παντὸς γένους συναγαζούση.* Regnum enim



enim cœlorum hic non tam sagenæ, quam toti cœpturæ comparatur & assimilatur, adeoque (α) Sage-  
na est verbum DEi, (β) Piscatores sunt Deus & ver-  
bi ministri, (γ) locus est mundus, (δ) jactus sagenæ  
commode denotat verbi Divini revelationem, (ε)  
actus piscationis verbi prædicationem, (ζ) captura  
accessum hominum Judæorum, gentilium, piorum  
atque impiorum ad ecclesiam vilibilem, (η) Sele-  
ctio piscium piorum separationem ab impiis & Ec-  
clesiæ invisibilis constitutionem, rejectio quisqui-  
liarum exclusionem impiorum a cœtu credentium;  
cura sagenæ verbi Divini curam & defensio-  
nem contra hæresium insultus. Eodem modo ex  
perientia vulgari quisque novit salis proprietates  
esse, (α) arcere putredinem (β) saporemque efficere,  
Job. VI: 6. Novit etiam, quo sensu Salvator Math.  
V: 13. Dixerit de Apostolis & discipulis suis:  
*ὁμοίως ἔστι τὸ ἅλας τῆς γῆς.* Doctorum enim ecclesiæ ut  
& omnium Christianorum, vi Sacerdotii spiritualis,  
est (α) verbis & doctrina hominum mores corrige-  
re, ad veram pœnitentiam & vitæ emendationem  
hortari. h. e. acrimoniam doctrinæ legalis Evangelii  
svavitate ita temperare, ut contritos svaviter recre-  
ent, impœnitentes vero peccatores mordeant &  
macerent, donec resipiscant, adeoque non solum il-  
li, sed & ipsi Hes. XXXIII. æternum interitum e-  
vitent, (β) vita & factis quasi condimentum doctri-  
næ ut spirituali alimento addere. Quamvis, quod  
fatemur, non desint interpretes, qui hic per sal ci-  
neres lixivii aut margam intelligunt, nobis tamen



plucuit proprietatem litteræ sequi. Similiter cui per-  
 specta est utilitas, quam aratio præstat agro, cujus  
 gremio semen est immittendum; scilicet quod ille  
 arando reddatur mollis, subactus & a Zizaniis liber,  
 adeoque aptus ad semen sparsum excipiendum, fru-  
 ctumque multiplicem ferendum, qui simul experien-  
 tia edoctus est arationem non solum primum esse a-  
 griculturæ actum, sed etiam illam pro respectu di-  
 versitatis terræ esse instituendam magis vel minus  
 profunde, sæpius vel rarius, impossibileque esse,  
 illam supra nudos montes instituire, Amos. V: 12. Is in-  
 quam, sine difficultate comprehendit, quid Spiritus  
 Sanctus intendit, dum in Scriptura Sacra corjubet a-  
 rare, Jer. IV: 3, 4. Hof. X: 12. Scilicet ut vera pœ-  
 nitentia obrineatur, omnium primo cor hominum,  
 breviori vel longiori tempore, majori vel minori se-  
 veritate, malleo s. aratro legis est contundendum,  
 confodiendum & humiliandum, sinceraque peccato-  
 rum detestatio excitanda, adeoque ita præparandum,  
 ut aptum fiat ad semen verbi Evangelii recipiendum,  
 per quod veram Spiritus Sanctus accendit fidem,  
 quæ deinde uberrimos fert fructus. Quid multis?  
 quod Scriptura Sacra vel meminit agros, prata, syl-  
 vas, hortos vineas, vites, palmites, uvas, infitio-  
 nem, sementem, messem, aratrum, arare, occare,  
 triturare, cribrare, amputare, plantare, irrigare, hor-  
 reum, ventilabrum, fermentum, Pastores, oves, tau-  
 ros, vitulos, equos, capras, fues, canes, aurum, ar-  
 gentum, stannum, cuprum, plumbum, ferrum, na-  
 ves, velum, ancoram, nauclerum, nautas, naufra-  
 gium;



\*\*\* ) 15 ( \*\*\*

gium; quoties porro loquitur de domo, ejus fundamento, architecto, patre familias, vestibus &c. &c. vel similitudines aut parabolas ab iis repetit, aut alio quocunque modo ad easdem alludit, toties, quod nemo facile negabit, ad distinctiores de his rebus conceptus formandos, ad altiusque emphasin similitudinum ejusmodi atque parabolarum introspectendam, cognitio partium Oeconomiae multum omnino facit. Possemus sane per plurimos hoc adhuc comprobare exemplis, nisi & haecenus dicta aliquatenus asserti nostri veritatis nos convincere possent, & varia circumstantia non tam svaderent quam potius cogere filium hic abrumpere. Colophonis ergo tantum loco, in praesenti materia, hanc generalam adponere lubet observationem: quoniam omnibus fatentibus, boni Oeconomi characteres praecipui sunt, ut (α) habeat sufficientem & Theoreticam & practicam cognitionem earum rerum, quae ad Oeconomiam spectant (β) utque prudens, potens atque (ε) vigilans sit, satis superque intelligitur, quid non solum Doctoribus Ecclesiae, sed & omnibus aliis hominibus incumbat, qualesque illos esse oporteat, cum & illi in Scriptura Sacra DEI dicantur Oeconomi. I. Cor. IV: 1. Luc. XVI: 1. I. Petr. IV: 10. Faxit igitur οἰκοδομοσύνης, Math. X: 25. Cap. XX: 1. qui μόνος σοφός Rom XVI: 27. πᾶσι, Apoc. I: 5. καὶ ἀγαθός, Math. XIX 17. est, ut omnes quoque finem bonorum servorum seu Oeconomorum consequantur. Math. XXV: 21.

SOLI DEO GLORIA!!!

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*


\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*



Perquam Reverendo atque Clarissimo Domino Candidato, ut  
Informatori fidelissimo, ita Fautori exoptatissimo.

**V**erba mihi non suppetunt idonea, quibus rite declarare possem lætitiam, quam ex ea concepi profus singularem, quod Te, Clariss. D. Candidate, in eadem erudita Tua dissertatione graduati jam constitutum esse intellexim. Ratio intinxit hujus animi mei voluptatis Tibi, Cl. D. C. incognita esse acquit. Nosti perbene, quanto amore quantaque fidelitate me fratremque dilectissimum litteris bonisque moribus instituere operam dedisti, nobisque Te ita conjunctum voluisti, ut nostra lætus cum propria Tua felicitate tua eademque esse videretur. Ingratissimus itaque omnino essem, nisi optimam hanc arripere occasionem, mentem meam erga Te gratissimam testificandi & inimul ex animo Tibi gratulandi tum de eruditione, qua polles singulari, tum etiam de Tuis jam bene & feliciter exantlatis laboribus Academicis. De cetero animitus roveo, velit DEUS O. M. Te omnigena felicitate in Nominis Sui Gloriam, Ecclesie, Tuunque proprium & omnium, qui Tibi bene cupiunt, emolumentum & solatium quam diutissime cumulare. Sic rovet Tuus ex alle

ESAIAS FELLMAN.



Perquam Reverendo atque Clarissimo Domino Candidato,  
Informatori & Fautori fidelissimo exoptatissimo.

**C**um & ego gratissima mente perpendo Tuum in me, Clarissime D. Candidate, amorem sincerissimum curamque profus singularemque semper tendentem, ut in litteris sinceræ pietatis aliarumque virtutum exercitio quotidie magis magisque proficerem, verbis certe exprimere non possum, quantum Tibi debeo. Et quoniam notissimum mihi est, Te, D. Candidate, cum Musis jam imprimis arctissimum habere commercium, dum labores Tuos Academicos eadem dexteritate, qua eosdem suscepisti & continuasti ad finem perducere felici auspicio satagis; hinc non potuit non animus meus maxima perfundi lætitia propter hos egregios Tuos Progressus, qui prout alia Tua honesta conamina, ut bene & prospere Tibi cedant, ut scilicet diu heic vivas felicissimus & tandem in Cœlo summus reportes præmium, est quod animitus optat rovetque Tuus

NICOLAUS FELLMAN.